

P I S A

1 6 0 8



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

*H. d. 12.*

DISPUTATIO IV.  
EXERCITATIONVM ETHICARVM.  
*De*  
EFFICIENTE CAU-  
SA VIRTVTVM MORALIVM,  
NEMPE DE ACTIONIBUS  
HUMANIS.

Ex libro tertio Ethicorum Nicomachiorum  
potissimum deprompta.

*Quam*

DEO DUCENTE ET DOCENTE

*In illustri Academia VVitebergensi*

PRÆSIDE

M. HENRICO VELSTENIO PHILO-

sophiæ Moralis Professore publico,

*Defendendam suscipiet*

PHILIPPUS HORSTIUS TULLI-

surgio - Saxo.

*in April. horis locor<sub>3</sub> consuetis.*

Cicero.

*Virtutis laus omnis in actione consistit.*

WITEBERGÆ

Typis Mullerianis Anno 1607.

PRINCIPI

Stirpe,      Mente,

ILLVSTRISSIMO, CELSISSIMO,

Ætate FLORENTISSIMO,

DOMINO, DOMINO

ULDARICO

DVCI Sedinæ, Pomeraniæ, Cassubeorum  
& Henetorum,

PRINCIPI Rugiæ,

COMITI Caicorum,

DOMINO in Lebenburg & Butovv,

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO,

quicquid est disputationis subsequenteris,

quâ potest animi submissione,

humiliter, reverenter

Dicat, Consecrat.

**P**arvi parva damus. Quid enim? majora, negatur,  
Ferre: Sed & parvis gratia fortè patet.

Semper inaurato taurus DIs hostia cornû

Haut cadit: aut largis turibus ara calet.

Sæpiùs exiguo Hos oblectant farra salino:

Micæ pergratus est salientis honor.

Eja age, sic parvus noster labor, INCLUTE PRINCEPS,

Sit gratus. Facili suscipe fronte, bea.

CELSIT. Eius

Subiectiſſ.

PHILIPPUS HORSTIUS

Brunſvigius A. & R.

# DISPUTATIO IV.

DE

## VIRTUTVM MORALIVM CAUSA EFFICIENTE.

CONTINVATIO SEV προόμιον.

**S**uperiori  $\xi\epsilon\tau\acute{o}\sigma\epsilon\iota$  determinatum haecenus & conclusum, ad Virtutes, Naturae facilitatem & propensionem prodesse haut parum; Doctrinae vero & institutionis commoda directionem adjuvamentum adferre non exiguum; de proprio tamen & proximo principio formante & producente habitum si sermo habeatur, neque hanc, neque illam, sed solam consuetudinem, morem seu actionum crebritatem, tam virtutis acquirenda, quam acquisita conservanda principium & causam efficientem primariam proximam & propriam constitui. Piccol. gr. 4. Philosophiae Mor. c. 17. Ulteriore itaque de actionum moralium natura & conditionibus praesenti  $\delta\iota\alpha\tau\epsilon\lambda\epsilon\iota$  tractationem aggredi non videtur  $\alpha\pi\pi\acute{o}\sigma\delta\iota\acute{o}\nu\upsilon\sigma\omicron\pi$ . Neque enim ipsis virtutum principiis & causis ignoratis omisisve, uberiores in posterum cuiusque in specie virtutis contemplationem sat commodè suscipi aut perfectiorem cognitionem sat feliciter posse percipi, persuasum. At v. tum scire nos unumquodque simpliciter, quando causam noverimus & principia, optime Atheniensis ille habet Philosophus l. 1. post. anal. c. 2. t. 7. & l. 1. Phys. c. 1. t. 1. Vnde nihil quicquam esse, quod exactius nos paret ad rei cognitionem, quam accurata principiorum eius cognitio, rectissime Patavinus ille Moralis Philosophiae Doctor infert. gr. 2. cap. 1. Communi siquidem omnium constat calculo, principia esse maximam partem, Aristoteles l. 2. Elench. c. 8. esse dimidium, l. 5. Polit. c. 4. quin plus esse, quam dimidium totius l. Eth. Nicom. 7. Sunt enim ea veluti semina facultate & virtute universum opus includentia, Piccol. l. d.: quamvis tantò, Arist. l. 2. Elench. 8. 1. de caelo c. 5. t. 33. 5. de generat. animal. c. 4. magnitudine & mole existant minore, quanto vi & facultate sunt majore. Ut g. ex radice, non ex cortice plantarum fructus: & ex causa, non ex effectu maximus rerum usus elicitur, Casus l. 3. c. 1.: ita quoque ad singularum virtutum naturam & munia propria peculiariter introspicenda accessionem deinceps facturi, in principiorum consideratione accuratiores si fuerimus, certiores virtutum cognitionem & faciliorem polliceri nobis poterimus.

## THESIS PRIMA.



Ausæ Virtutum Moralium efficientes sunt Actiones: Eæ verò tum crebræ, tum mediocritatis vinculis constrictæ. Donald. l. 2. cap. 20. Vrsin. Disp. 4. præst. illustr.

II. Crebras eas volumus: quia neq; una dies serena, neq; una hirundo Ver infert & efficit: Sic nec una vel altera actio Virtutis habitum. i. Eth. c. 6.

III. Quin fidicines, architecti, aliq; artifices non nisi frequenti exercitio, canendi, edificandi, operandi habitum conquirunt, 2. Eth. 2. Similiter catenata q. actionum multitudo ad virtutis portum deducit.

IV. Mediocritas porrò in actionibus requiritur. Nec enim quasvis ob operationes ἀξιωμα; à Diva illa Arete oliva donaberis.

V. Plurium enim rerum, ut & vitiorum, operationes sunt causæ: siquidem non omnis actio bona. Savanot. Epit. Eth. l. 2. concl. 23.

VI. Propria verò non nisi à proprijs principijs.

VII. Et talis actio esse precedens debet, qualis futurus est habitus. Piccol. grad. 4. c. 20.

VIII. At virtus est mediocritas, & medium tanquam scopum & signum præfixum collimat, 2. Eth. 6.

IX. Ut verò profuso nimis & immoderato labore, corporis leditur vigor; nimis remisso, seu otio, inducitur torpor; moderato autem conservatur accessio nemq; adipiscitur robor: & ut sanitati nimia cibi portioq; ingesta copia obest; obest & nimia paucitas ac inopia: Non secus & ea, quæ vel ad parum, vel nimium declinant, evaganturq; perniciem virtutibus intentant & struunt; recto verò tramiti quæ insistent, ab interitu easdem vindicant 2. Eth. 2.

X. Insuper actiones illæ non solæ per se, sed secundum certas quasdam ad agentis personam pertinentes, notas & conditiones, easq; quintuplices, æstimantur, Col. l. 2. c. 4. Donalds. lib. 2. c. 4. Aristoteles 2. Eth. 3.

XI. Prima est, ut agens agat ἐπισως hoc est actio promanet à sciente.

XII. Non enim raro Grammaticum proferre quiddam quis poterit, sui tamen ne per somnium quidem Grammatici affingi nomen queat.

XIII.

XIII. Sic imprudentiâ sapè, ignorantia & imitatione iusta, fortia, temperata, agere poteris: cum tamen tantum absit, ut talis inde habearis, ut ne quidem verè laudabilis actio illa censeatur.

XIV. ii. Conditio est, ut agens agat προαιρέτως, certo animi proposito & consilio, non fortuito aut temerè.

XV. iii. Est ut agat προαιρέτως δι' αὐτὰ, solius virtutis & honestatis amore allectus, quavis alia utilitatis aut commoditatis specie amota.

XVI. iv. Est ut agens agat βεβαίως καὶ ἀμετακινήτως ἔχων firmâ & constanti animi voluntate.

XVII. Non g. vacillet; nec semel fiat atq; iterum, sed perpetuo & aequabili tenore continuetur, adeo ut aliter deinceps agere ne quidem agens cogitet, nedum anhelet.

XVIII. v. Conditio ex prioribus profluens, est, ut agat ἡδύως, cum grata quadam animi oblectatione & voluptate.

XIX. Dicta hæc requisita tam arcto connexionis glutine inter se sunt connexa, ut uno saltem deficiente, aut neglecto, difficulter admodum virtuti reportare queas premium.

XX. Cæterum actio vel voluntaria est, vel invita. Donalds. lib. 2. cap. 5.

XXI. Actio voluntaria seu τὸ ἐκούσιον definitur à Philosopho, οὐκ ἀρχὴ ἢ αὐτῶ ἐδοῦναι τὰ καθ' ἑκάστα, ἢ οἷον ἢ προἰόντων, cujus principium est in ipso agente singulas actionum circumstantias sciente. 3. Eth. 3. Col. 1. 3. c. 1. Donald. l. d.

XXII. In hac actione requiruntur tria. I. Voluntas. II. Consultatio. III. Electio.

XXIII. Voluntas seu βούλησις ἐστὶ τοῦ καθ' ἀλήθειαν ἀγαθῶ, ἢ φανερῶς ἀγαθῶ μετὰ λόγον ὄρεξις h. e. est boni vel veri, vel apparentis cum ratione appetitio. 3. Eth. 6. Col. 1. 3. c. 4.

XXIV. Respiciendum hic ad duo: I. ad objectum, II. ad normam voluntatis.

XXV. i. Objectum statuitur BONVM. Bona, ait Orator Romanus, 4. Tuscul. natura appetimus, & à malis natura declinamus.

- XXVI. Nec quisquam adeo à sana mente semotus, qui malum, quod malum, appetat: cum omne malum subiecto, cui adest, destructionem minuetur & inferat. Vide Secneam l. 4. de off.
- XXVII. Sæpe verò sub herba anguis, sub lapide latitat scorpio, & meretricia frons homines sæpe deludit. Cas. l. 3. c. 4.
- XXVIII. Hinc non bonum tantum solidum, sed & fucatum, hoc est, bonum tam verum, quam apparens voluntati rectè subjicitur.
- XXIX. Ut enim sanis probeq; affectis salutaria videntur, quæ reverè talia; agrotis autem contraria: Sic viri boni voluntati bene constitutæ verissima bona; viri verò mali voluntati depravatæ pessima, optimorum facie, obijciuntur. Arist. 3. Eth. c. 6. Cas. d. 1.
- XXX. Ex unoquoq; enim habitu propria sibi quisq; honesta & incunda fugit. Arist. d. 1.
- XXXI. Fallunt ergo & falluntur, quicumq; vel solum Bonum verum, vel solum bonum apparens à voluntate appeti asserunt. Aristot. l. d.
- XXXII. II. Norma voluntatis, quâ niti illa ac dirigi debet, est RECTA RATIO.
- XXXIII. Hæc septis quasi quibusdam circumscribere & cohibere animum in magnis rerum procellis debet, ne ab affectibus auferatur. Ex recta ratione, inquit Philosophus, agere est, cum anima pars irrationalis non prohibuerit rationalem suam exercere actionem. 2. M. M. 10.
- XXXIV. Consultatio seu βουλευσις ὅτι τῆς ψυχῆς λογισμὸς περὶ τῶν πρακτικῶν, est diligens inquisitio mediolorum, per quæ in agendo ad finem propositum perveniri posse videtur. Gol. l. 3. c. 3.
- XXXV. Objectum ejus, seu τὸ βουλευτὸν, non est finis, sed ordinata ad eum, media nimirum actionis productioni inservientia: Finis est ipse mediolorum usus, seu ipsa actio. Arist. 3. Eth. c. 5.
- XXXVI. Circa media porrò observandum 1. quanam eæ res sint, quæ deliberationi subjacent. 2. quis earum tractandarum sit modus.
- XXXVII. Quoad primum; Suscipitur de iis negotiis humanis in hac vita agendis deliberatio, in quibus vel consequendis & efficiendis, vel declinandis & mutandis humana ratio atque solertia præstare aliquid posse videtur. Arist. l. d.
- XXXVIII. Nec tamen negotia illa humana intelligenda omnia; sed ea duntaxat, quæ 1. nostrâ intersunt: 2. in nostra potestate



itate sita, ut geri à nobis atq; administrari & possint & debeant: quæ deniq; 3. adeò sunt dubia & incerta, ut non ad sensum pateant omnibus, sed aliquando sapientibus ancipitem dubitationem offerant. Casus. l. 3. c. 3.

XXXIX. Respuit itaq; consultatio ea omnia, de quibus vel Goræbus quidam, vel Dithyramborum quidam Poëta, h. e. stultus vel furiosus consilium nititur capere, 3. Eth. 5.

XL. Respuit & æterna: hæc enim ut aliter atq; aliter habere se & fieri à nobis nequeunt. Arist. d. l.

XLI. Respuit insuper omnia ea, quæ vel præterita: vel naturalia: vel fortuita: vel certa: vel aliena sunt.

XLII. Præterita quidem: τὸ γούρ γε γονὸς οὐκ ἐνδέχεται μὴ γενέσθαι. 6. Eth. 2. Reprehendi quidem præterita; sed corrigi non possunt. Salust.

XLIII. Naturalia: eaq; tam quæ semper eodem modo, vel ex necessitate materiae aut formæ, vel ex natura sua & principio interno; vel aliâ etiam causâ externâ moventur & mutantur: quàm quæ aliàs quidem aliter eveniunt. Naturæ enim aliquod opus vi suâ efficere nemo valet. Riccob. in l. 3. c. 3.

XLIV. Fortuita: Hæc enim, ut præter agentis intentionem accidunt, ita certas eorum causas indagare non possibile. Arist. l. d.

XLV. Certa: quæ namq; suâ vi contenta certisq; actibus sunt definita, ad dubitationis aleam non revocantur. 1. Eth. c. 5. Riccob. d. l.

XLVI. Aliena: De alienis & ad nos non pertinentibus inquirere, otiosa potius est curiositatis, quàm prudentiæ.

XLVII. Hæc de iis, quæ deliberationis vel sunt, vel non sunt materies: Modus ulterius Consultandi potissimum tria, quibus perficitur, præscribit: ut nimirum, recta habeatur ratio 1. principii, 2. medii 3. finis consultandi. Donald. d. l. Gol. d. l. XLIX. 1. Ratione Principii seu ante Consultationem tñ consultores sunt adhibendi; tñ certus Cōsultationis finis est præfiniendus.

XLIX. Consultores seu σύμβουλοι, præcipuè in rebus arduis & magnis, sunt necessarii: ne nimium nobismetipsis tribuentes, ab ipsa, quod dicitur, janua aberremus, in mediis hallucinemur, pro Iunone nubem, pro Iphigenia cervam, pro veris falsa, pro boni mala arripiamus & sectemur. Facilius enim τὸ ἀποτυχεῖν τοῦ σκοποῦ, quàm ἐπιτυχεῖν. 2. Eth. 5. Et εἰς ἀνὴρ οὐ πάνθ' ὄρα. Eurip. in Phænis.

L. Debent autem Consultores illi esse & viri boni, & prudentes, & amici.

LI. Deo

L I. Debent esse viri boni: Siquidem esquilla rosa non rosa non nascitur, & mali corvi malum semper ovum: ita à viro malo & improbo salubria & sana si requiras consilia, nihilo plus ages, quam si des operam, ut cum ratione insanias. Vir autem bonus ubiq; novit, quid deceat, quidq; expediat, quid utile, quid sit honestum. Lycurgus apud Stobæum Serm. 35.

L II. Deinde iidem sint Prudentes. Hi enim demum longo rerum usu edocti de mediis rectè iudicabunt. Hi non quod ante pedes modo est vident, sed illa etiam, quæ futura sunt, prospiciunt. Ter. in adelph. act. 3. sc. 4. Solius prudentis est proprium, consilia examinare, nec citò facili credulitate ad falsa prolabi. Seneca l. 4. de ira: Quin non dispicere solùm, quid per se optimum sit, sed quid pro temporum ratione possit obtineri. Erasmi. in apophth.

L III. Deniq; sint amici nostri. Ab inimico enim consilium fidele quis speret? ἐχθρῶν δόξα ἄδωξα: Sic &

ab hoste dicta ne unquam amicam duxeris, ut proverbialis habet senarius. Ut æs adfert æruginem, Sic & nequitia inimici, etiamsi se subijciat & inflexus ambulet. Sirac 12. v. 10. Luporum quidem pili, haut tamen animus mutatur.

L IV. Finis, isq; certus, non dubius, consultationi est præmittendus. Foret enim alioquin inanis nostra appetitio, vana foret omnis de bonis moribus deliberatio, otiosa foret omnis optimarum rerum electio, stulta foret omnis studiosa actio, insana foret omnis tantorum discriminum solius virtutis causam in hac vita susceptio. Casus in qq. moral. l. 1. c. 2.

L V. Hinc perpulcra Philosophi nostri vox: βελευέται ἀεὶ ὁ βελευόμενος ἐνεκὰ τινος, καὶ ἐστὶ σκοπὸς τις ἀεὶ τῷ βελευόμενῳ, πρὸς ὁρσκοῦσθαι τὸ συμφέρον, περὶ μὲν τῷ τέλει οὐθεὶς βελευέται, ἀλλὰ τοῦτ' ἐστὶν ἀρχὴ καὶ ὑπόθεσις. Et: οἷσ' μαρτυρεῖται σκοπὸς, ὅβ βελευόμενος 2. Eudem. 10.

L VI. II. In ipsa consultatione videndum de Mediis, quibus ad optatum finem iter perficitur: & quidem quænam illa sint, & quis verus eorum sit usus Donald. Gol. d. 1.

L VII. Circa ipsa media perpendendus venit. I. Numerus eorum seu multitudo: Multi an paucis ad finem seu ejus, quod expetimus, fructualem pervenire queamus?

L VIII. 2. Qualitas eorundem: Licitane illa sint, honesta, facilia, an verò secus se habeant?

LIX.

LIX. 3. Delectus tandem & σὺγκρισις instituenda: adeoq; pau-  
tiora semper praferenda pluribus, licita illicitis, honesta inhonestis sen-  
turpibus, facilia difficilibus, possibilia impossibilibus. Vid. Cic. 3. offic.

LX. Circa verum mediorum usum ad tria ulterius cura in-  
tendenda. 1. Eousq; media sunt investiganda, donec ad ulti-  
mum, quo sine caetera haberi nequeunt, perventum fuerit, ut in-  
de actio initium sortiatur. Ultimum enim in intentione, pri-  
mum est in executione. 3. Ethic. 5.

LXI. 2. Circumspiciendum, utrum per nos solos effici nego-  
tium queat, nec ne? Si nequeat, assamendi sunt συνεργοί, laborum socij.  
πλείον γὰρ πλεόνων μελέτη Hesiod. l. α. ἔργ. καὶ ἡμεῖς. Ἐ πλεό-  
νων δὲ τί ἐργον ὄμενον Homer. Iliad. μ. Unde & Diomedis illud  
Iliad. κ. σὺν τε δὴ ἐσχορδύω. Nec possumus omnia per nos agere: Alius alia  
in re magis utilis. Idcirco amicitiae comparantur, ut commune commodum  
mutuis officijs gubernetur. Quibus enim ipsi interesse rebus non possumus, in  
his opera nostrae vicaria fides amicorum supponitur. Cic. pro Rosc. Amer.  
Et quae amicorum opera & studio transiguntur, nostri a operā quodammodo  
fieri videntur 3. Eth. 5.

LXII. Ut vero superius non quosvis συμβούλους ritè receperis: ita &  
συνεργούς fideles & industrios feligas oportet.

LXIII. 3. De commodis tandem instrumentis providendum,  
ut progredi directius, & velocius ad ipsam operationem prove-  
hi queamus. Arist. l. d.

LXIV. Sunt verò instrumenta vel ἔμψυχα, ad quae tum homi-  
nes sive amici illi sint, sive servi, tum iumenta referuntur; vel ἄψυχα, ut  
sunt gladius, malleus &c. 1. Polit. 4.

LXV. III. Ratione finis deliberandi, maturo habito confi-  
lio, negotioq; ad amussim exactius pensitato ad proprias vires  
omnis mentis acies est flecenda, & an negotij perficiendi facul-  
tas in sit, probè expendendum.

LXVI. Si negotium sit planè ἀδύνατον, hoc est, facultas illa  
perficiendi deficiat, satius est omnino ἀφίστασθαι à proposito dis-  
cedere, quàm id ipsum aggredi. Eam enim oneris sarcinam humeris  
imponere, sub qua succumbas, quid stultius? Domum qui exstruens imper-  
fectam reliquerit, a stridula cornicis insidentis crocuratione & irrisione quasi  
vix sibi cavebit. Hesiod. l. β. ἔργ. καὶ ἡμεῖς.

LXVII. Si opus δυνάτον, manus actutum operi accingenda:  
occasio premenda: nimia festinatio fugienda: tarditas & mora

B

nimis

nimis proluxa rescindenda. Per quam bene itaq; Seneca: Nihil esse  
tentandum, ait Epicurus Epistola ad Idumeneum, nisi cum aptè poteris  
tempestivèq; tentari. Sed cum tempus illud diu venerit, exiliendum ait i-  
dem: Dormitare de fuga cogitantem vetat, & sperat salutarem etiam ex  
difficilissimum exitum, si nec properemus ante tempus, nec cessemus in tempore  
Epl. 22. ad Lucil.

LXIX. Hucusq; de voluntate & Consultatione: Sequi-  
tur προαίρεσις Electio, quæ est ὄρεξις βουλευτική πῶν ἐφ' ἡμῖν, h. e.  
appetitio præmeditata eorum, quæ in nostra sunt potestate, aut  
fieri a nobis possunt. 3. Eth. c. 5. & l. 6. cap. 2. Gol. 3. cap. 2. Do-  
nalds. d. 1.

LXIX. Cum data hac definitione alia Philosophi descriptiones pla-  
nè concurrunt, dum Electionem definit ἐκούσιον προβουλευτικόν spon-  
taneum prius deliberatū. 3. Eth. 4. ὄρεξις ἢ ὄρεξις διανοητικὴν  
mentem appetendi vim habentem, aut appetitionem cogitandi vim haben-  
tem. 6. Eth. 2.

LXX. Haecenus de actione Voluntaria quæ dicenda fue-  
runt, diximus, transitum jam facturi ad invitam, discrimina  
modò quædam Voluntatis, Consultationis & Electionis, tum  
ad se invicem, tum ad alia cognata relatarum, suspensâ, quod  
dicitur, manu prius attigerimus & per transfennam. q. inspe-  
xerimus.

LXXI. A Voluntate g. auspicantes, eam cum Consultatio-  
ne & Electione non parùm convenire largimur, differre tamen  
ab iisdem non negamus. Gol. l. 3. c. 2. Piccol. gr. 2. c. 22. Do-  
nald. l. 2. c. 5. Casus. l. 3. c. 2. Arist. l. 3. c. 4. Riccob. l. 3. cap. 2.  
Goch. Exer. Eth. 24.

LXXII. Voluntas 1. finem unicè respicit; Consultatio & E-  
lectio ad finem ordinata. 2. Illa est etiam impossibilium; hæ  
tantùm possibilium. 3. Illa etiam quæ ad alios; hæ quæ ad nos  
tantùm pertinent, & à nobis fieri posse putantur, respiciunt.  
4. Illa solum mentis iudicium; hæ ulteriorem discursum, per  
quem unum alteri præfertur, exposcunt.

LXXIII. Consultatio differt. 1. ab Electione. 1. materiâ  
seu obiecto: Consultatio est rerum incertarum; Electio aliquo modo propter  
anteegressam deliberationem certarum. 2. Tempore: illa antecedit; hæc  
sequi-

sequitur: Deliberandum enim prius, quam ex deliberatione eligas, quod sequaris. 3. Subiecto: Illa est officium facultatis cognoscentis; hæc appetentis. Arist. l. 3. c. 5. Casus l. 3. c. 3. Donald. Piccol. Goclen. dd. ll. Gol. l. 3. c. 3.

LXXIV. II. Differt Consultatio seu βούλοισις à ζητησίᾳ inquisitione, triplici modo: 1. ut genus & species: Omnis quidem Consultatio est questio seu inquisitio, sed non contrà. 2. Objectis: hæc de quacumq; re potest institui; illa tantum de rebus suscipitur agendis. Hinc 3. finis etiam diversus promanat, ut illi quidem actio; sed huic scientia saltem & rei questæ cognitio pro fine assignetur. Dicti dd. ll.

LXXV. Electio seu προαίρεσις differt. 1. ab ἐπιθυμίᾳ cupiditate. 1. Illa ut cum ratione & consilio est conjuncta, ita brutis animantibus, quemadmodum cupiditas, tribui nequit. 2. aliud est cum præelectione agere, aliud cum cupiditate. 3. Electio sæpissimè & circa eandem rem & eodem temporis momento cupiditati repugnat; cupiditas verò cupiditati nunquam. 4. diversa utriusq; sunt objecta: προαίρεσις quidem honestum, utile, & quæ his contraria; ἐπιθυμίᾳ verò iucundum & molestum. Arl. 3. Eth. 4. Cas. l. 3. c. 2. Gol. l. 3. cap. 2. Riccob. l. 3. c. 2. Camer. in lib. 3. Eth. cap. 2.

LXXVI. II. Differt Electio à θυμῷ seu ira: ratio enim & consilium, quæ cum Electione arctissimo necessitudinis vinculo sunt iuncta, ab ira maxime exulant.

LXXVII. III. Differt à δόξῃ seu opinione variis modis. 1. Electio rerum tantum est agendarum & possibilium; opinio æternarum, etiam & impossibilium. 2. Opinio æstimatur veritate & falsitate: Electio probitate & pravitate: unde & illa vera vel falsa dicitur; hæc bona vel mala. 3. Non si opinemur bona vel mala, tales perhibemur; at si eadem eligimus. 4. Opinio θεωρία tantum & γνώσις absolvitur & perficitur: Electio verò λήψις ἢ φυγή apprehensione vel fugâ rerum agendarum. 5. Illi veritas & falsitas: huic rectitudo vel malitia laudem & vituperium conciliat. 6. Illa incerta est; hæc propter præmissam consultationem certa quodammodo & firma. 7. Non qui optima opinantur, optima illicò sectantur, indeq; evadunt optimi; at qui optima eligunt. Aristot. & reliqui dd. ll.

B. 2

Sequitur



1 XXIIIX. Sequitur jam τὸ ἀκούσιον seu actio invita, quæ est  
cujus principium aliunde provenit. Donald. l. 2. c. 6.

LXXIX. Aristoteles τὸ ἀκούσιον definit τὸ εἶα ἢ δι' ἀγνοίαν  
γινόμενον, quod, vi aut per ignorantiam admittitur. 3. Eth. 1.  
Gol. lib. 3. c. 1.

XXC. Actio invita est vel violenta, vel imprudens.

XXCI. Violenta actio seu τὸ βίαιόν ἐστιν, ὅθεν τὸς ἐστιν ἡ αἰτία,  
ἀφ' ἧς βιάζεται πρᾶττεν, quæ fit vi aliqua, seu cujus agendi cau-  
sa, à qua cogatur, fuerit externa i. M. M. c. 15.

XXCII. Eitq; actio hæc vel absolutè violenta, vel secundum  
quid.

XXCIII. Absolutè violenta actio seu τὸ βίαιον ἀπλῶς ἐστιν.  
ὅθεν ἡ ἀρχὴ ἔξωθεν τοιαύτη εἶναι, ἣν ἢ μηδὲν συμβάλλεται ὁ πρᾶτ-  
των, ἢ ὁ πάσχων, cuius principium extrinsecus tale existit, ut agens  
patiensve nihil quicquam adjumenti ad actionem conferat. 3.  
Eth. 1. Cas. 1. 3. c. 1. Golius &c. dd. 11.

XXCIV. Absolutè violenta & invita censetur: Si i. principi-  
um movens h. e. causa efficiens principalis sit externa. *Violentum  
enim naturali, quod internum motus est principium, opponitur.* 5. Phys.  
c. 6. t. 57. II. Si externa illa vis movens fat habeat ad actionem  
eam producendam & perficiendam roboris. III. Si id, quod pro-  
ximè agit vel patitur, planè ad actionem non conspiret, eique  
adjumenti nihil præbeat. Piccol. gr. 2. c. 15. Gol. Donalds. &c.  
dd. 11.

XXCV. Actio secundum quid violenta, seu τὸ βίαιον κατὰ τὴν  
ἐξωθεν δι' ἐξωθεν δὲ βούλησιν γινόμενον, quæ partim extrinsecus per  
vim, partim intrinsecus per voluntatem videtur fieri. Ca-  
sus d. 1.

XXCVI. *Seu:* Actio violenta secundum quid est, cujus prin-  
cipium cum in nostra sit potestate & res per se mala videatur, a-  
deoq; minimè eligenda, respectu verò circumstantiarum bona  
& eligenda censetur. Donald. d. 1.

XXCVII. *Talis habetur actio rerum ac fortunarum, procellâ in ma-  
ri obortâ, ex navi eiectio: & certæ pecuniæ pro vitæ redemptione latroni  
facta promissio.*

XXCVIII.

**XXCVIII.** *Μικτὰ;* tales actiones vocat Philosophus, cum partim sint voluntariae, partim invitae: Vnde & utrum voluntariae magis, an invitae sint dicendae, ambigit. 3. Eth. 1.

**XXCIX.** *His de actionibus mistis, atrum laudis quid an vituperij mereantur, decernere per-quam-difficile, ut verè in his tam perpetrandis, quam dijudicandis refulgere prudentia & virtus hominum, & prudentes ab imprudentibus, probiq; ab improbis internosci dicantur.* Piccol. grad. 2. cap. 13.

**XC.** Ad tria tamen quasi genera reduci posse videntur: ita ut aliae applausum; aliae reprehensionem veluti comites habeant; aliae quasi mediae nihil horum, sed veniam reportent. Donalds. l. d. Confer Arist. 3. Eth. c. 1.

**XC I.** Laus consequitur, *Si propter bonum quoddam insigne sub-turpis quaedam seu foeda actio & molesta, non tamen turpiter, hoc est, sine scelere admittitur.* Riccob. l. 3. c. 1. Gol. d. 1.

**XC II.** *Hinc laudari Zopyri illius Persae solet astutia & factum, qui & aures & nares sibi ipsi praescidit, regi suo Dario Babylonem ut traderet.* Iustin. l. 1. *Et rectè Solonis simulata praedicatur insania, qua perniciosam Atheniensium legem abrogavit.* Laert. l. 1. in Solone.

*Nec immeritò par Romulo gloria Valerio Maximo est L. Brutus, cum ut ille urbem, Sic hic libertatem Romanam condidisse videtur, filios suos Tarquinij dominationem à se expulsam reducentes, virgis caedi & securi percuti iubens. Bonum enim publicum spectandum erat patri, ut Consuli, non privatum.* Liv. dec. 1. l. 2. Valer. Max. l. 5. c. 8. Gocl. Eth. quaest. 105.

**XC III.** Reprehensionem incurrunt actiones, cum talia perpetrantur facinora, quae nec propter insigne bonum, nec sine scelere suscipi queunt.

**XC IV.** Poterunt haec ad duas quasi classes & modos revocari, ut aliae cum minori, aliae cum majori turpitudine sint conjunctae.

**XC V.** Quae minoris exstant turpitudinis, sunt, quando turpe aliquid exigui alicuius commodi seu lucelli, aut voluptatis gratia sustinetur.

**XC VI.** *Hinc turpis illa lucri ex lotio exactio Vespasianica non iniuria culpatur.* Vnde Iuvenalis Sat. 14.

*B 3* **Nec**

Nec credas ponendum aliquid discriminis inter  
Unguenta & corium. Lucri bonus est odor exre  
Qualibet. Illa tuo sententia semper in ore  
Verfetur, Diis atq; ipso Jove digna, Poetae:  
Unde habeas quærit nemo, sed oportet habere.

*Sic & illa magnarum opum anxys cum sordibus corrasio Ptolomæ  
Cypriorum regi tantum attulit dedecoris, ut rex quidem ille insule ti-  
tulo, animo verò pecunie miserabile dici mereretur mancipium. Val.  
Max. l. 9. c. 4.*

*Nec Aristippum quidem Philosophum, conspui sese à Dionysio equo  
animo passum, à culpa vindicat vox illa ἀπολόσσομαι: ut gobium venen-  
tur piscatores, mari patiuntur se aspergi, & ego ut balenam accipiam, non  
patiar exscreatione aspergi? Laert. l. 2.*

**XCVII.** *Sed neq; simulatus ille Ulyssis furor, quo militiam  
subterfugere, domiq; otiosè vivere intentavit, & si utile ipsi & incundum  
visum fuit consilium, pro honesto aut laudabili reputandus. Cic. 3. offic.  
Mirum verò ni Plautinus ille Parasitus, saginæ apud Toxilum servandæ  
causâ, filiam externo productam habitu venire patiens, Cerite, quod dicitur,  
habeatur cerâ dignus In Persa Plaut.*

**XCIIIX.** *Quæ majoris exstant turpitudinis, sunt, quando vel  
in gratiam aliorum, vel metu periculi, vel quocunq; tandem sine facinus tale  
suscipitur, quod & scelus maxime execrandum, & insignis in Deum, in pro-  
ximum, aut nosmet ipsos impietas comitatur. Donald. d. l.*

**XCIX.** *De his actionibus graviter Patavinus ille Doctor ex Philosopho  
Stagiræo: Neq; nos latere debet, reperiri nonnulla adeò prava, adeoq; cum hu-  
mana virtute pugnancia, ut nulla vi permittere debeamus ad ea efficienda  
nos adduci; sed potius extrema & exquisitissima debemus pati supplicia &  
tormenta, mortemq; obire crudelissimam, quam ad ea exsequenda compelli.  
Piccol. grad. 2. c. 13. Cas. l. 3. c. 1. Hæc sunt ita turpia, ut nullo hone-  
statis colore pingi possint: quibus ne ignosci quidem fas est, nedum laus tri-  
buenda videatur, ait Camer. in l. 3. Eth. c. 1.*

**C.** *Condignas itaq; semper luunt poenas, qui agnitæ fidei & religionis  
veritati nuncium impie remittunt, vel per-quam lubrica Imperatorum gra-  
tiâ illecti; vel caducorum huius mundi bonorum illecebris deliniti; vel pericu-  
lorum carceris, ipsiusq; mortis acerbitate & savitiâ percussi. Apostatarum  
horum exempla præbent insignia blasphemus ille Juliani Thefaurarius  
apud Nicephorum l. 10. c. 29. Ezebolius Constantinopolitanus So-  
phista: Liberius Episcopus Romanus: Franciscus de Spira. Sed quid? pleni  
sunt*



sunt Veterum historicorum libri, plena sunt recentium voces, plena exem-  
rum omnis aetas.

C I. Pariter Alcmaeon matricida apud Euripidem pius videri co-  
piens, irridetur à Philosopho sceleratusq; habetur. 3. Eth. 1. Nihil enim  
quicquam cause inveniri poterit, quod ad parricidij excusationem suffecerit.  
Hanc tamen Alcmaeonis crudelitatem Tullia illa Ser. Tullii filia longe  
superat: non modo ad patris internecionem Tarquinium maritum instigans &  
urgens, sed & per occisi patris corpus, in Tarquinij interfectoris complexus  
quò celerius veniret, carpentum agens: Livius dec. 1. l. 1. Valer. Max.  
l. 9. c. 11. Cuius fati acerbitatem C. Toranius & Villius Annalis  
et iam sortiti. Ibidem.

C II. Nec verò in Numantinis, Calogurritanis, horumq; emu-  
lis, qui ab hostibus circumventi, quæ sedare famem poterant consumtis, tru-  
cem pertinaciam sectantes, humanorum corporum dapibus uti, quin uxores  
natosq; ad usum nefariarum epularum vertere non verentur, ulla necessita-  
tis excusatio. Extrema hæc malitia. Impietas execrabilis. Valer. Max.  
l. 7. c. 6.

C III. An verò Æneas Turnum nedum non repugnantem, sed &  
precantem interimens heroica fortitudinis encomio fulget? Æneid. 12  
at impietatis potiùs & feritatis in simulatur crimine. Piccol. gr. b. c. 12.

C IV. Sed & Cato, Lucretia aliiq; ἀνομιὰς nobiles, um-  
bram virtutis horribili præ se ferunt actione, ipsam virtutis essentiam labo-  
factant. Piccol. d. l. August. de Civit. Dei l. 1. c. 19. 23. Goclen. in  
Eth. qq. 68. Lactantius l. 3. instit. divin. c. 18. Vereq; malignos inter  
Poëta eis in inferno suo locum assignat,

Proxima deinde tenent, inquiens, mæsti loca, qui sibi letum  
Infantes pepererê manu, lucemq; perosi  
Projecêre animas. Quàm vellent æthere in alto  
Nunc & pauperiem & duros perferre labores!  
Fata obstant, tristiq; palus innabilis unda  
Alligat, & novies styx interfusa coërcet. Æneid, 6.  
Hinc de Lucretia Beza in Epigramm.

Si fuit ille tibi, Lucretia, gratus adulter,  
Immeritò ex merita præmia morte petis.  
Sin potiùs casto vis est allata pudori,  
Quis furor alterius crimine velle mori?  
Frustra igitur laudem captas, Lucretia. Namq;  
Vel scelerata cadis, vel furiosa ruis,

Veniã

**CV.** Venia deniq; & commiseratione actiones dignæ, ad quas, licet non scelestas, probrosas tamen, gravissimis causis, quas humana natura non est ferendo, adigimur. Donald. l. d.

**CVI.** His in actionibus cedere interdum generosus Spiritus utilitati cogitur, & fortunæ viribus succumbit. Abominandæ enim necessitatis amarissima leges & truculentissima imperia. Val. Max. l. 7. c. 6. Necessitas, iuxta Thaletem, superat omnia. Unde & Philolaus Pythagoricus dixisse fertur: εἰναι τινὰς λόγους, κρείττους ἡμῶν esse quædam eiusmodi, ut explicari à nobis nequeant. Eudem 2. c. 8. Camerar. l. 3. c. 1.

**CVII.** Hoc modo si qui hostibus impares hasta abjecta fuga se mandant, non admodum incusantur. Potentiori enim nolle cedere, ubi resistere amplius non valeas, temeritatis plus habet, quam prudentiæ. Vitæ autem salus gratissima. Quamobrem Anaxilao Byzantio civitatem, quam fame perituram animadvertibat, hostibus tradenti, & postmodum causam Sparta dicenti, illi ipsi iudices, quibus urbs tunc erepta, non potuerunt non faciles in absolvendo esse. Camer. d. l. Refer huc quæ l. 7. c. 6. sub necessitatis titulo exempla suppeditat Valerius Max. plurima.

**CIX.** Sic fuit actio invita violenta: Actio invita imprudens est, quæ ab agente circumstantiarum quarundam singularium ignaro, culpæ & fraudis vacuo, proficiscitur, & subsequenter habet pœnitentiam ob peccatum admissum. Donald. l. 2. c. 6.

**CIX.** Vt actio imprudens verè τῷ ἀκούσῳ invitæ naturam induat, tres observandæ dantur cautiones. Arist. 3. Eth. 2. Col. lib. 3. cap. 7.

**CX.** 1. Vt agens per ignorantiam agat. ἕτερον γὰρ εἶναι καὶ τὸ δι' ἀγνοίας πράττειν, τὸ ἀγνοῦντα ποιεῖν, aliud est per ignorantiam agere, quam ignorantem. Ibid. Piccol. grad. 2. c. 13. Riccob. in l. 3. c. 1.

**CXI.** Per ignorantiam agit, quem circumstantiæ quædam actionis latent, ut sola illa ignorantia simpliciter sit malæ actionis causa, adeo ut nisi adesset ea agens non ageret.

**CXII.** Ignorans agit, qui licet in actione producenda sit ignarus, in ignorantia tamen illa, ut causa principali malæ actionis patrocinium querere nequit. Non enim per inscitiam agit, sed vitioso affectu mentis aciem pervertente vel obumbrante, & ignorantiam illam inducente, adeo ut non deceptio perturbationis & vitij, sed contra perturbationis & vitium deceptionis sint cause. Piccol. d. l.

**CXIII.** Hoc

**CXIII.** Hoc g. illo communius. Nam omnes quidem qui per ignorantiam, etiam ignorantes agunt; sed non omnes, qui ignorantes, etiam per ignorantiam agunt. Itaque non his, sed illis venia.

**CXIV.** Est verò ignorantia vel τὸ καθόλου, vel τὸν καθ' ἕκαστον, hoc est, rei universæ, seu ignorantia universalis; vel rerum singularium, seu ignorantia particularis. Illa Ignorantia JURIS; hæc FACTI dici solet.

**CXV.** Ignorantia JURIS seu universalis est, cum ea, quæ jure scire tenemur, ignorantur: seu cum in universum ignorantur actionis finis & qualitates præcipuæ, honestum, turpe, utile: eligendum, fugiendum: iustum, iniustum.

**CXVI.** Non hæc ignorantia actionem constituit invitam, neque excusationem vel ullam admittit. Itaque si quis ignorasse se dicat, quod libera virginis pudicitiam in civitate libera violari non oportuerit, ridiculus vel potius vesanus habeatur. Camerar. in l. 3. Eth. c. 1.

**CXVII.** Ignorantia FACTI seu particularis est, cum quadam circumstantiæ singulares, in quibus tota actionis vis posita, quasque ipse agens ante actionem nec prævidere, nec præavere potuerit, ignorantur.

**CXVIII.** Circumstantiæ numerari octo solent, quæ sic distinguui poterunt: ut circumstantia vel respiciat ipsum agens seu causam actionis, vel ipsam actionem. Si causam actus, est ea vel efficiens, vel finalis, vel materialis. Si efficiens, aut principalis, unde circumstantia QVIS; aut instrumentalis, unde QVO: Si finalis, sequitur CUI seu CUIUS GRATIA: Si materialis est, CIRCA QUID oritur. Si circumstantia ipsum actum respiciat, consideratur iste vel secundum substantiam seu essentiam suam, QUID nimirum actum sit; vel secundum quantitatem seu mensuram suam, id est, IN QVO, hoc est, vel LOCO vel TEMPORE, seu VBI & QVANDO; vel denique secundum qualitatem, QVOMODO factum sit. Accijolus l. 3. Eth. c. 1. Savanar. l. 2. Epit. Eth. concl. 25.

**CXIX.** Harum ignorantia circumstantiarum factum reddit invitum, eò quod voluntas agentis aliò intendens per eam impeditur. Gol. l. 3. c. 1. Hinc Savanorola: non ex obiecto & fine tantum, sed & ex circumstantia actio humana bona vel mala est. Et: Circumstantia in actibus humanis speciem boni & mali constituere potest. Savan. l. d. concl. 25 & 28. Sed residue adhuc actionis verè invitæ imprudentis notæ seu requisita includi circumstantiis volunt.

**CXX.** II. Igitur nota est, ut actio ab animo simplici & culpæ vacuo profluat, hoc est, ignorantia illa omni careat dolo, nec nostrâ culpâ

fit accersita. Hinc absolutam olim in Areopago mulier, quae pro philtro venenum cuidam propinaverat l. i. M. M. c. 17.

CXXI. III. Tandem requiritur, ut cognitum peccatum poenitentia subsequatur. Ακούσιον γὰρ τὸ ἐπίλυπον καὶ ἔν μεταμέλειᾳ. Invitum sanè id dicendum, quod & dolorem & poenitentiam agentis comites habet. 3. Eth. 2.

CXXII. Ideoq; & extremè ille malus ac impius privignus, qui suste canem petens, novercam ferit fortuitò, ac, ne sic quidem male, respondit. Camer. l. 3. c. 1.

CXXIII. Hac de actionibus voluntarijs & invitis dicta pro tempore sufficiant: ex quibus sequentia resultant πορίσματα.

CXXIV. I. Iucunda non sunt violenta. 3. Eth. 1. Gol. l. 3. c. 1. Riccob. l. 3. c. 1. Donalds. l. 2. c. 6.

CXXV. Patet 1. omnes alioquin actiones hominum voluntarie forent violentae, & sic omnis tolleretur hominum in agendo libertas. 2. violenta peraguntur cum molestia; iucunda cum voluptate. 3. ad illa difficulter pertrahimur peragenda; his verò ultrò nos offerimus. 4. quin & honeste actiones forent violentae, his namque maxima insidet iucunditas animiq; voluptas: Hoc verò ipsum ipsi adversarij pernegant. 5. quid? quòd ipsa violenti definitio omnem vim iucundis actionibus detrahit.

CXXVI. II. In hominis arbitrio positum est virtutem colere, vitium fugere. 3. Eth. 7. Ricc. l. 3. c. 5. Gol. l. 3. c. 5. Donalds. d. l.

CXXVII. III. Nec fatali necessitate omnia fiunt, ut Stoicorum vult placitum; nec Socraticum illud simpliciter verum pronunciatum: NEMO SPONTE EST MALVS: nec deniq; fat probabilis aut justa intemperantium, injustorum, avarorum & similium est excusatio, quando secus se agere non posse dicunt.

Sed jubet hinc Plato quiescere. Persequenda ζητήμασι reliqua.

Quaestio. I. Quænam sint humanarum actionum principia, ex quibus virtus creetur?

Omnes homines naturali sciendi desiderio tenentur, ait Philosophorum coryphaeus acutissimus. 1. Metaph. 1. At qui ad scientie adeptionem hant quicquam magis, quam benè dubitare profuerit. 3. Metaph. 1. ἢ γοῦρ ἐπιπορία ἀσχί τῆς ἐπιπορίαε, ut habet tritum illud. Benè autem dubitare

ex bene querere. Positū itaque thematibus *ἡ ἀρχὴ τῆς* quadam subiungere cognata, eademq; excutere, nec inutile, nec inuicundum videtur. Primo ergo de ipsis actionum humanarum queritur principijs, quanam illa sint? Actiones, ait Scaliger, multas habent causas. Exerc. 307. Sect. 27. Nobis de ijs tantum principijs, unde motus proficiscitur, non cuius gratia res agitur, negotium. 6. Eth. 2. Hæc ipsa alij plura, alij decernunt pauciora. Piccolomineus in *Philosophia Morali* decem, per quos ad ipsum actum descendamus, gradus constituit: quorum quidam ad id, quod ipsam actionem concernit, referuntur; alij ad modum pertinent. Vid. grad. 2. c. 11. Qua ex assertione sensus tam interni, quam externi, mens, voluntas, consultatio, assensio, appetitio præelectiva, quin ipsa motio ad actionem promovendam, actionum humanarum esse principia concluduntur. Brevius Philosophus tria in animo, quæ actionis & veritatis obtinent dominatum, esse ait: Sensum, mentem & appetitum. 6. Eth. 2. Quem in modum & Pythagoræi tres virtutis fontes statuerunt. 1. prudentem scientiam. 2. irascendi potentiam. 3. voluntatem cum præelectione & cupiditate connexam: Ex quarum harmonia & mutua conspiratione virtus consurgat. Piccol. grad. 4. cap. 39. Alii libertatem, Voluntatem, deliberationem, Electionem, Riccob. lib. 3. cap. 5. Piccol. grad. 2. cap. 22.; Donaldsonus Scorus solam liberam in agendo voluntatem actionum humanarum principium facere videtur. lib. 2. cap. 5. Cui & nos astipulamur. *Id quod sic cape.* 1. Actus humani dicuntur bifariam: vel quoad substantiam Entitatemve, vel quoad operandi modum: Hic autem operandi modus hominis proprius, prout à belluis distinguitur, est ita agere, ut actionum suarum dominium & libertatem gerat: unde eaduntaxat actiones humane vocantur, quas homo in sua habet potestate libera. DD. Conimbr. tract. Eth. disp. 4. q. 1. art. 2. 2. Voluntas illa libera intellectus seu mentis normam & directionem supponit ac respicit. ex th. 32. Quando ergo voluntatem solam actionum asserimus principium, reliqua adducta principia non simpliciter & absolute excludimus, sed distincta ea talia esse ratione concludimus. Piccol. grad. 1. c. 4. Distinguatur inter id, quod est propinquum & quod remotum: inter id, quod principale & quod minus principale seu adjuvans, & omnis si quæ est tolletur discrepantia. Voluntas libera ad intellectum seu mentem se cõformans, eaq; gubernata principium proximum: ad voluntatem reliqua referuntur omnia. Donald, d. 1. Confer. Vrsin. d. 3. q. Illustr.

Quaestio II. An ex una actione virtus  
gignatur?

Ut fructus in radice plantæ latitans non omninò funditur, si non accedat Solis influentia: ita virtus in potentia naturæ pul-  
lulascens, in lucem non editur, si non mentis industria accesserit, ipsaque se actione exseruerit. Cas. l. 2. qq. moral. c. 1. *Proxi-  
ma igitur Virtutis causa actio. Hinc quaestio*: An una duntaxat actio  
sufficiat ad virtutis habitum, an verò non nisi actionum fre-  
quentia, seu consuetudo perpetua virtutis habitu induat? Dubi-  
tari poterit. Nam dicendum potius videtur, honestè agere neminem posse,  
nisi virtute sit imbutus: quod confirmatur: 1. Eadem artium est & vir-  
tutum ratio. 2. Eth. 1. Atqui artis opera nemo, nisi eandem habens facit.  
Nemo benè dicit, aut purè loquitur, nisi Rhetor aut Grammaticus, seu habens  
Rhetoricam aut Grammaticam. 2. Nihil simul procreans est & pro-  
creatum respectu ejusdem. Honestè autem operari virtutis est effectum.  
Omninò igitur videtur & ἡγεμονία, virtutem non nisi ex crebris actionibus ho-  
nestis emanare, cum ea potius supponatur iam genita, & harum sit effectrix.  
At quicquid hoc est dubii averruncatu non videtur adeò diffici-  
le, modò notetur. 1. non omnia artis opera esse ab habitu. 2. aliud  
esse pura loqui vel ornata, & aliud loqui purè Grammaticè &  
ornatè Rhetoricè, h. e. ex habitu Grammatico vel Rhetorico, ex proposi-  
to nempe & constanter. Sic & aliud est honestè agere, aliud honestè ex vir-  
tutis habitu, scilicet animo scienti, volenti & constanti: Illud materialiter &  
improprie, hoc formaliter & proprie sic agere dicitur. 3. Opus aliud dici  
imperfectum, aliud perfectum. Imperfectum ante, perfectum post ha-  
bitus acquisitionem producit. 4. Magnam esse artium & virtutum  
inter se discrepantiam. 1. ad virtutis actiones, quæ in agente requiratur  
dispositio, vide superius th. 11. & seqq.; Ut verò artificiosè quis agat,  
vel sola prima ibi recensitarum sufficit conditio. 11. in artibus opus, ut in se-  
ipso perfectum, probat & commendat artificem; in virtutibus verò animus &  
persona agentis actionem. Non solum factum, inquit Casus l. d. c. 4. Sed  
animum: non solum speciem, sed rem ipsam: non solum externam actionem,  
sed internum agendi principium: non solum opus quod sit, sed etiam modum,  
quo fieri debet, finemq; considerare oportet. Ex his R. ad argumentum  
primum. 1. Maiorem non posse simpliciter concedi. 2. ad Mmor. 1. Sapius  
idiotam casu seu fortuito quædam pura & ornata posse loqui, & sic quoq;  
quenquam minime honestum honesta, minime iustum iusta posse agere: ideoq;  
2. Improprie

2. improprie saltem Grammaticè, Rhetoricè, honestè, iustè agere dici. 3. Similitudine concessâ minorem de perfecto tantum opere esse veram, non de imperfecto. Ad 2. Minorem respicere saltem operationes perfectas non imperfectiores, per quas agens virtutem sibi studeat acquirere. Manet g. ratum & immotum non per unum actum solum, sed per iteratos ac repetitos actus, virtutum habitus contrahi firmariq;. Gocl. qq. Eth. 49. Sava- nar. Epit. Eth. l. 3. Conc. 5. 6.

### Quæstio III. An actiones Virtutem præcedentes & sequentes ejusdem sint speciei?

Ortum hæc trahit quæstio ex præcedenti. Ab actionibus enim fit habitus, post ab ipso habitu actiones. Scal. Exerc. 307. Sect. 4. An hæ sint eadem, ambigitur. Non verò quicquam hic controversiæ de identitate generica: hæc enim  $\tau\alpha\upsilon\tau\acute{o}\tau\eta\varsigma$  ad eam est laxa, ut omnes actus recti & pravi convenire eâ dicantur: nec de numerica: Eodem enim temporis momento actiones hæc existere  $\alpha\delta\upsilon\nu\alpha\tau\acute{o}\rho$ . Sed de specifica. Hanc qui negant, his nituntur fundamentis: 1. Quæ ejusdem sunt speciei, ortus principia habent eadem. Actiones autem antecedentes & consequentes habitum non habent principia eadem: illæ enim à voluntate secundum rectam rationem conformantur; hæc ex habitu profluunt. 2. Actus primi, dum homo sine habitu & cum habitu operatur, verè sunt specie distincti. E. & actus secundi. Hi enim à primis. 3. Hinc ipsâ etiam definitione distinguuntur. E. & specie. 4. Actio moralis pro forma eam proximè constituyente & perficiente habet modum, quo fit. Modi verò, quibus utraq; fiunt, specie sunt distincti. Actio habitum præcurrentes e. g. iustitiæ dicitur actio iusta, sed non iustè facta: non enim includit conditiones, quæ requiruntur, ut iustè fiat: actio autem consequens & iusta & iustè facta dicitur. Hinc præcurrentes actiones dicuntur imperfectæ, quia ultima eis deest differentia, ad modum & circumstantias pertinens: ultima autem differentia tota dicitur rei essentia. 5. Virtuosum & non virtuosum specie differunt. Actiones consequentes virtutem sunt virtuosæ, antecedentes non sunt. Illud enim, quod ex virtute fit, virtuosum dicitur. Ergo 6. Actiones præcurrentes sunt imperfectæ, inconstantes, cum labore, pugna, & molestiâ iunctæ; consequentes planè contrario modo se habent. 7. Homo & equus perfectione differentes, differunt & naturâ. E. & actiones ante & post Virtutis habitum genitæ,  $\phi\upsilon\sigma\epsilon\alpha$  differunt. Namq; & hæc perfectione & imperfectione inter se distinguuntur. Affirmativa sententia cum Aristotele aliisq; hoc modo confirmatur. I.

C 5

Quemad-

Quemadmodum in corporis habitibus tales sunt operationes, quales fuerunt ante habitum, ex quibus habitus ille factus: ita in habitibus virtutum tales sunt operationes post, quales ante fuerunt, ex quibus habitus ille generatus. 2. Viræq; consistunt in mediocritate, inter eadem extrema, defectum & excessum & consentiunt cum ratione recta. 3. Ambæ circa idem specie subiectum versantur: e. g. in liberalitate ambæ eodem modo versantur circa τὸ ἄξιον. 4. finem eundem, bonum nempe honestum, respiciunt. Pro decisione notandum. Actiones, si considerentur ex parte sua, hoc est ipsarum actionum, nullam planè à se invicem differentiam; si v. spectentur vel ratione agentis vel adjunctorum aliquam pati distinctionem: quæ tamen specificam inferre differentiam nequeat. Hæc enim proximè à forma. Ad opinionis prioris confirmationes patet Responsio. Ad 1. 2. & 3. per distinctionem: quando ortus principia ita distinguuntur, ut in una communi convenire ratione nequeant, tunc inde effecta diversæ sunt speciei, & formæ; quando v. coniungi in una ratione communi queunt, quando eiusdem nim. sunt facultatis & earundem virium, effecta esse possunt specie eadem. Sic ignis à luce, à motu, ab alio igne, qui tamen eiusdem speciei, produci potest. Sic planta vel sine semine sponte nata, vel per semen facta non diversæ est speciei. Et Philosophus eadem ex arte & sine arte fieri pronunciat. 7. Metaph. Ad 4. 1. Modus ille, quo actiones utraq; sunt, non forma est earum, sed operationis duntaxat adjunctum. 2. agere iustè & non iustè dupliciter dicitur. 1. quatenus determinatur agens, ut sit iustus. 2. quatenus actio, ut e a sit iusta. Prior modus distinctionem parit, posterior minimè. Ad 5. Virtuosum si sumatur pro eo, quod ex virtutis habitu provenit, actiones precedentes virtutem, virtuosæ non sunt; sin pro eo, quod ad rectæ rationis dictamen est conformatum maxime tales sunt dicenda. Ad 6. 1. Accidentaliter differentia non est essentialis & specifica. 2. Magis & minus non variant speciem: Sic nec perfectum & minus perfectum & c. Ad 7. Ratio est diversissima. Perfectio homini, equi & imperfectio ex differentiis substantialibus sumuntur; actionum perfectio & imperfectio leviculam quandam, ipsam rei naturam non attingentem, parit differentiam. Non ergò diversæ, sed eiusdem speciei antecedentes & virtutis habitum insequentis actiones concludimus. Vid. Arist. 2. Eth. 2. Acciajol. l. 2. c. 2. Ricc. l. 2. c. 2. Gocl. qq. Eth. 50. Piccol. gr. 2. c. 10. & in l. de rer. definit. sub tit. habitus & dispositionis. Ursin. disp. 5. quest. illustr.

Quest.



Quaestio IV. An actiones sequentes virtutem  
à mente nostra tanquam primo princi-  
pio, an ab habitu, quo mens no-  
stra est informata, primò  
proficiscatur?

Iul. Caesar Scaliger Exer. 107. Sect. 4. benè quidem: Mul-  
tiplici actionum repetitione q. fabricatur habitus: à quo deinde  
habitu certæ atq; impræditæ fluunt actiones: non autem in-  
certæ, quales ante ipsum fiebant: bonæ quidem, sed non benè.  
*Mox subjungit parum benè: actiones, quæ parto jam fiunt habitu,*  
non ab ipso habitu tanquam ab ipso efficiente oriri, sed ab ea-  
dem voluntate, à qua habitum antecedentes. *Cui assertioni cal-  
culum etiam Piccolomineus adijcere videtur suum Grad. 3. Phil.*  
Mor. c. 19. Rationes hanc assertionem suadentes, sunt. 1. quia  
habitus est forma actionum, 2. Si ab actionibus habitus & ab  
his actiones, fiant circularis dabitur demōstratio, *quæ tamen cum*  
*per se in natura fieri nequit, tum ejusdem etiam prohibetur præceptio-*  
*bus.* Verùm contraria sententia apparet probabilior, *quæ actiones*  
*ab habitu ut efficiente emanare statuit.* Patet. 1. à similibus exemplo-  
rum inductione: *Nemo edificare artificiosè, artificiosè saltare, ca-*  
*nere, potest est, nisi qui edificandi, saltandi, canendi artem perfectè no-*  
*verit, hoc est, habitum eiusmodi contraxerit.* Vnde & Aristoteles *edifi-*  
*candi artem primam causam nominat* 2. Phys. 3. tex. 38. 2. *Habitus a-*  
*ctiones reddit faciles, jucundas, constantes, expeditas & promptas: quæ*  
*ante habitum esse solent difficiles, molestæ, inconstantes, incertæ.* Ergo.  
Distinguendū verò inter principium vel ipsius operis absolute,  
vel eà ratione, qua est artificiosum: priori modo si accipiatur  
principium, non erit habitus principium primum; sin posteriori,  
erit. Piccol. in Phil. Mor. gr. 2. c. 7. & de rerum defin. sub tit.  
Habitus. Reponendum g. Scaligeri rationi. 1. *Non habitum, sed*  
*temperatū illud laudabile & rectum, quod in actione spectatur, formā esse.*  
Rationi 2. *Circularem demonstrationem tum demum esse metuendam, si a-*  
*ctiones præcedentes & sequentes habitum planè essent uniusmodi; quæ ta-*  
*men perfectione & imperfectione, certitudine & incertitudine, ut patet ex*  
*dd. distinguuntur.* Rectissime ergo cum Goclenio colligimus: *Maneat istud*  
*dogma:*

*dogma:* Actiones, quæ fiunt iam comparato habitu, oriri ab habitu seu voluntate habitu præditâ affectâque. *Talis enim voluntas tantum inclinât & adducit nos ad agendum hoc est habitus voluntatis hoc facit, & ex eo facilius agimus, cum per ipsum naturæ facultates perficiantur.* Gocl. qq. Ethic. 65.

Quæstio V. An sit in homine liberum arbitrium ad externas virtutum actiones?

*Ea inter, quæ ad virtutis templum viam sternunt, vel imprimis libertas fulget: Quæ nihil aliud est, quam facultas hominis, qua de oppositis ad ejus actiones pertinentibus ratiocinari, oppositaq; præligere valet. Piccol. grad. 2. Philosophiæ Moral. c. 40. Non levis de hac agitur quæstio, utrum scilicet homini, quoad actiones suas ritè obeundas, sit concedenda, nec ne? Qui negativam, tanquam aras & focos propugnant, varia, eaq; peracuta, ejaculantur tela. Primò quidem assumitur præscientia Dei, quâ Deus cuncta infallibiliter prævidet, aded ut nec res secus evenire valeant, quam à Deo sint prævisæ. Nisi itaq; præscientia Dei pro humanæ voluntatis mutabilitate mutabilis habeatur, necessario cuncta evenire, concludetur. Exinde & pro hac ipsa sententia propugnanda ipsi Calviniani nostri suas colligunt cohortes, disertè affirmantes, Deum nihil prævidere, nisi quod velit efficere. Ista enim Bezae sunt verba ad colloq: Montisb. 1. Nihil præsciri futurum, nisi quod verè futurum sit pag. 152. Nihil autem fieri (de malis autem ibi erat quæstio) vel futurum, nisi quod Dei voluntate & potestate futurum. Imò alij Calviniani teste Joh. Calvino in Institutionibus simpliciter præscientiâ bonorum & malorum causam efficientem esse affirmant, vel eam ad Dei opera indivulsè adstringunt. 2. Insolubilis illa Fati catena, quæ nihil aliud est, quam rerum mobilium immobilis dispositio, seu necessitas rerum omnium actionumq;, quam nulla vis rumpere ac mutare possit, Piccol. grad. 2. c. 34. cuncta in rerum serie necessitati subiicit, connexioneq; causarum præcedentium & se invicem subsequentium arctissimâ devincit. Quò & pertinet, quòd movens movere nunquam queat, nisi certo quodam modo materia sit affecta. 8. Phys. c. 1. t. 8. 9. neq; verò motores secundi sine primo movent. 3. Astrologia, Physiognomia, Chiromantia & cæteræ divinationum artes cœli motibus, siderum aspectibus, & revelationibus certisq; lineamentis omnia adscribentes, indeq; futura præsagientes liberta-*

libertati vim inferunt. 4. Idem præstat ipse Dei modus, quo operatur. Hic enim cum necessitate quadam coniunctus 1. quis enim casu coelum cum omnibus sub eo collocatis existisse cum Democrito asseveret? 2. quid potentius necessitate, quàm cum, ut fertur, ne Dii quidem pugnant? 3. quin ea ipsa, quæ contingentia sunt, necessitate prædita, quis ignorat? 5. Mores sequuntur temperamenti conditionem. Temperamentum verò nequaquam in nostra est potestate. 6. Ipsi Legumlatores hominem libertate exuunt, dum varijs eum legibus constringunt. 7. Operandi libertatem nec ante operationem, nec in ipsa operatione homo possidet. Ergo. 3. Platonica tandem assertio, si vel maxime in actionibus virtuosis libertas agendi concedatur, neminem tamen sponte fieri improbum, hoc est, in actionibus tamen improbis libertatem desicere, astruit. Affirmantem quæ opinionem confirmant, hominisq; libertatem satis reddunt conspicuam, rationes sunt hæ: 1. Quia omnes actiones sunt liberæ: principia enim actionum in nostra sunt potestate, ita ut penes nos sit easdem vel agere, vel non agere. Voluntas in nobis. Consultatio in nobis. Electio in nobis. 2. Sublatâ libertate inanis foret constituendarum legum labor; iniusta omnis præmiorum ac poenarum distributio; frustranea omnis institutio; otiosa omnis ad bonum adhortatio & à malo dehortatio; stulta & inepta omnis virtutum vitiorumq; distinctio. 3. Si negetur arbitrii libertas mundus non esset perfecta rerum series, cunctarumq; formarum plenitudo. Cum enim in eo dentur penitus serva, dentur quæ libertati iunctam habent necessitatem, requiritur & medium quoddam libertate & contingentia coniunctis quod gaudeat. 4. Servitus materiei conditionem sequitur, libertas à forma dependet. Homo g. mentis compos divina & immortalis, libertatis etiam erit particeps. 5. Illi ipsi libertatis inficiatores, ejusdem re ipsa & opere sunt assertores, hortando suos, puniendo, irascendo & ultionem parando contra delinquentes, &c. 6. Ipsa rationis vis & facultas, quâ homo donatus & ornatus, libertatis defectum non admittit. Hac enim præterita cum futuris, distincta inter se & opposita cum oppositis comparare, alia ex alijs colligere, quid præeligendum, quid fugiendum sit dijudicare potis est. Pro difficultatis solutione & μφιβολογία Libertatis tollenda, ne ab ea, velut in tenebris ab igni fatuo viatores imprudentes, seducamur. Non g. liberum hic pro eo acceptum volumus, quod nulli plane subjicitur; nec pro eo, quod pro nullo oppositorum est definitum, sed ad utrumque indifferenter & æquè se habet; nec pro omni eo, quod spontè operatur, & con-

D

tra

tra distinguitur ab invito & coacto; nec pro eo, quod separatis  
mentibus competit; sed pro eo solum, quod cum ratione jun-  
ctum, à ratione oritur mutariq; potest. *Quæ libertas solius hominis  
propria.* 2. Sed nec libertas humana ea intelligitur, quæ ad res spi-  
rituales extendatur: in his enim ea serva; sed quæ res mun-  
danas & externas concernat. 3. In externis his actionibus vo-  
luntas per se & secundum suam essentiam libera plane est; per  
accidens tamen, quatenus habitu est prædita vel bono vel ma-  
lo, serva est quodammodo. *Vnde Philosophus 2. Eth. 8. οὐχ ὁ-  
μοίως αἱ πράξεις ἐκούσιαι εἰσι, καὶ αἱ ἕξαι. τῶν μὲν γὰρ πρῶτων  
& τῶν ἄρχῆς μέχρι τέλος; κύριαι ἔσμεν, εἰδότες τὰ καθ' ἑκάστα. τῶν  
ἕξαι δὲ, τῆς ἀρχῆς.* Primo prioris opinionis argumento Re-  
spondemus; 1. quemadmodum Astrologi nullam suam præcognitionem. Ecli-  
psibus luminarium necessitatem inferunt; sed quia ipsa futura, ideò ex cau-  
sis suis naturalibus eas prævident ac prænunciant: Sic præcognoscit De-  
us præelectiones nostras: at non quia præcognoscit, ideò nos ita eligimus, sed  
contrà, quia nos liberè ita eligimus, ipse præcognoscit nos liberè id eligere.  
2. Nec verò propterea ab obiecto seu rebus cognitio illa Dei dependet effectivè.  
Ut enim ea, quæ non sunt, esse facit, ita absq; ulla temporis consideratione,  
absq; ullo obiecti intuitu, quàm perfectissimè in seipso cognoscit omnia.  
3. quin præscientia Dei talis non est, quæ omnipotentiam eius evertat;  
quam itaque liberam præelectionem homini concessit Dei potentia, nequa-  
quam auferet vicissim præcognitio. Vide optima apud Schaffman-  
num lib. 1. de peccatorum causis pag. 98. Vide & Hunnium in  
loco de providentia pag. 8. 9. & seqq. Timplerum in Metaphys.  
l. 4. c. 4. q. 25. Quoad argumentum secundum 1. nihil est quod à fa-  
ti imperio voluntas metuat. Stoica enim illa Fati assertio admodum videtur  
fata, impia, eliminanda. Erroris genitrix adulterina descriptio. Si verò  
exactiùs paulò Fati rimemur naturam, nihil illud esse aliud comperimus,  
quàm legem à natura universali constitutam de modo, quo qualibet res ge-  
neretur & intereat. Zabar. l. 2. de misti ortu & inter c. 4. Ex quo fa-  
tum & naturam ἰσοδυναμῶντα Philosophus censet. 5. Phys. c. ult.  
Vnde quæ fato decreta sunt, ea secundum naturam sunt, quæq; secundum na-  
turam sunt, ea fato decreta sunt: quæ v. eveniunt naturam non semper neces-  
sario sunt; itaq; & quæ fato eveniunt, varietati & contingentia erunt ob-  
noxia. Impiam porrò hanc Stoicorum de Fato opinionem dicimus: eò quòd  
Deum ipsum Fato subijciat: fatum prius quid & maius Deo astruat: Deum  
ad causas secundas simpliciter alliget: quin contra ipsorum etiam Phi-  
losophorum placita peccati auctorem asserat. *Malorum, ait Magnus  
ille*

Ille Plato, alicui causam esse Deum, cum bonus sit, refellendum est omnino.  
2. de Republ. Hinc Jovis illa vox apud Poetarum principem.

Ω πόποι, οἷον δὴ νῦ θεοῦς βροτοὶ ἀλάωvται-

Εἰ ἡμέων γὰρ φασὶ καὶ ἔμμεναι, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ

Σφῆσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μέτρον ἄλγ᾽ ἔχουσιν. *Odys. α.*

2. Secundi quidem motores absq; primo non movent; primus tamen motor saltem veluti causa quaedam est communis, quæ nihil prohibet, quò minus causæ secundæ libertate quadam & contingentia agant.

I. Tria in omni opere conspiciuntur. 1. Principium universale, Deus. 2. Commune, Natura. 3. Proximum, nempe natura singularis, quæ in morum actionibus ipsa voluntas est. Iam hæc tria ad unius effecti constitutionem sic conspirant, ut in statâ actionum & nature lege, principium superioris inferiori nihil decerpit, sed integras agendi vires illi relinquat. Proinde

1. Deus universale actionum nostrarum principium non aliter naturam adficit, quàm ut omnia secundum naturam. Aug. de civitate Dei l. 7. 2. Natura verò, commune principium, ita voluntatem movet, ut 3. Voluntas agendi libertati relicta nullo necessitatis vinculo astringatur. Tam ergo absurdum est voluntatem necessitate cogi, ac si calidum esset absq; calore. Aug. II. Quotiescunq; ad alicujus effecti constitutionem plures subordinatæ causæ concurrunt, ultimum effectum, neq; supremæ, neq; intermediarum; sed proximæ causæ conditionem sequitur. Ita quando gignitur monstrum, ibi concurrunt, Deus, Sol, pater & mater, præterea virtus seminalis. Sed quia non deficit nisi materia, ei soli tribuenda causa monstri. Claudus ambulat de formi incessu, sed quia non deficit Deus, neq; virtus motrix, quæ in homine est; sed sola tibia, quæ ob curvitatem non plene subicitur virtuti motrici, soli tibiæ tribuitur causa claudicationis. Quod exemplum affertur ab Augustino in l. de perfect. justic. resp. 4. Videatur Bellar. l. 2. de statu peccati c. 18. III. Ad bonas actiones requiritur omnia principia esse bona; malæ autem ex uno principio pro malo judicantur.

Quemadmodum enim perfectus aliquis numerus ad sui perfectionem omnes suas unitates postulat, sed unica dumtaxat unitate amissa imperfectus redditur: ita quælibet etiã bona actio omnia sua principia necesse est habeat bona, cum ad malam unicum sufficiat esse corruptum. Ergo cum proxima actionum nostrarum causa sit ipsa nobis insita voluntas, ideoq; etiam actionum humanarum discrimen non ex universali & remota, sed ex proxima est ponderandum. Id quod & ipse Beza concessit in Resp. 2. ad colloq. Montisb. inquit: Discrimen bonarum & malarum actionum cadit in ea Instrumenta, quæ & intelligentiâ & ratione prædita sunt: cujus-

modi sunt Angeli & homines. Deus enim sic administrat omnia quæ creavit, ut etiam ipsa proprios exercere & agere motus sinat. *Vide Schaffmannum l. d. Vide. Bonavent. lib. 2. d. 37. q. 1. Scotum l. 2. d. 37. q. 1. Thomam in prima 2. q. 9. a. 6.*

Ad argumentum 3. Astrologia probabiliter quidem generalia naturalia, ut sunt siccitates, pluvia &c. hominis item temperamenta & inclinationes seu propensiones ad varia, quæ mutari assuetudine possunt, colligere potest ac prævidere; ad particulares verò eventus, hominisq; actiones singulares si descendat, tantum abest, ut certi quid necessario concludere queat ac prædicere, ut innumeris potius scateat mendacijs, omniumq; sese ludibrio exponat. Itaq; placet illud.

Non edicta sonat nobis Prætoria cœlum.

De Chiromantia & reliquis divinatricibus disciplinis idem iudicium. Ad. 4. 1. *Non simplici & absoluta necessitate, sed quæ dicitur ex v<sup>o</sup> θ<sup>o</sup>σ<sup>o</sup> seu suppositione, Deus operatur: quia enim ab æterno liberè ita definit, & non mutatur, ideoz, hoc modo & non secus operatur. 2. necessarium quidem, prout necessarium est, nequit everti; quod tamen à necessario dependet velut à communi causa, varijs modis potest mutari. 3. Contingentia necessitatem quandã includunt, si 1. ratione sui gradus & communis generis. 2. ratione suppositionis. 3. ratione conditionis suæ. 4. ratione præscientiæ Dei spectentur; sin ratione singulorum, indefinita planè, incerta, varia & inconstantia deprehenduntur. Ad 5. Prolixius agentem hac de quæst: An animi mores corporis sequantur temperamentum? videris Piccol. gr. 1. Phil. Mor. c. 28. & seqq. Breviter: generales tantum affectuum quorundam inclinationes naturales ex corporis temperamento possunt colligi, quæ tamen ut necessitatẽ non inferunt, sic facile institutione & exercitatione corriguntur. Ad 6. Homo non est liber simpliciter, ut nulli subijciatur, sed dicitur ita liber, quia in præeligendo altero oppositorum suimet Dominus est. Hinc itaq; rectè libertatis munere fungitur, cum ea, quæ Dei voluntati, legumq; præscripto congrua, præeligit & sectatur. Cupiditatibus imperare non posse servitus maxima & turpissima. Vnde Orator Romanus: quid est libertas? Potestas vivendi, ut velis. quis igitur vivit ut vult? nisi profectò qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via considerata, atq; provisã est, qui legibus quidem nõ propter merum paret, sed eas sequitur atq; colit, quia id salutare maximè esse iudicat, &c. parad. penult. Et Poeta:*

Quisnam

Quisnam igitur liber? Sapiens, sibiq; imperiosus:  
Quem neq; pauperies, neq; mors, neq; vincula terrent,  
Respondere cupidinibus, contemnere honores  
Fortis, & in seipso totus teres atq; rotundus:  
Externi ne quid valeat per leve morari.

Hor. l. 2. Satyr. 7. Ad 7. Homini libertas nullo nō tempore competit. Competit ei, antequam praeligat. Esto, nunquā agat. Liberè nihilominus quamcūq; libuerit partem potis est praeligere. Competit ei dum praeligit. Liberè enim id facit. Competit ei in ipso operandi actu, hæc enim ab ipso liberè præeligen- te promanat. Assertioni Platonica, quæ ultimo producta, sequens satisfaciet Ζήτημα. Circa quæst. hanc decisam consul. Pic gr. 2. Phil. Mor. c. 30. & seqq. & l. dererum defin. Riccob. l. 3. c. 5. Peuc. de divinat. Melanchth. in Epit. Phil. Mor. & l. de anima. Gol. l. 3. Eth. c. 5. Seidel. in ἀνθρώπων. Casman. in ἀνθρώπων. part. 1. c. 6. Camer. in l. 3. Eth. Sagitt. Disp. Phys. 2. th. 8. 9. d. 6. th. 21. d. 22. th. 19.

### Quæstio VI. An homo sponte malus?

Πολυβύβλατον illud suā ætate:

Οὐδέ τις ἐκὼν πονηρὸς, εὐδ' ἀκὼν μάκαρ

Sponte improbus nemo, nec invitus beatus ullus est: falsum partim, partim verum contra Platonem & Academicos asserit Philosophus.

Pro Platonice, spontè neminem esse malum, contendentibus sequentes pugnare videntur rationes. 1. Corporis aegritudine volens laborat nemo. E. multo minus aegritudine animi, quæ est deterior. 2. Nemo malū querit, ut malū. Sed omne quod agimus gratiā alicuius boni, quod solū intenditur, agimus. Ex th. 25. 26. 3. Contraria contrariorum sunt consequentia. Ut g. Virtus & vitium contraria sunt genera: ideōq; illa laudabilis, honesta, sequenda; hoc v. vituperandum, turpe, fugiendum: Sic utiq; quia virtus ἐκούσιον, vitium & pravitas erit ἀκούσιον. 4. Homines improba patranes, vel id faciunt ex imbecillitate, vel inscitia, vel depravata ratione, vel perturbatione agitati, vel ab obiecto externo abrepti, vel pravo habitu seducti, vel commotione temperamentum sequente compulsi.

Aristotelis sententiam hæc demonstrant rationes. 1. in nostra facultate est abstinere à malo E. etiam agere malum. Oppositorum n. ratio eadem. 2. Scelera patranes opem nostram conferimus, sumus concause, cum letitia conspiramus. Voluntario g. agimus. 3. In eo homo à brutis differt, quod actionum suarum per voluntatem & præelectionem sit principium. Actiones autem non probæ tantum, sed & prave existunt ex th. 5.

4. Improbis media ad finem ordinata vult & praelegit, utiq; ergo & ipsum finem improbitatem appetit. 5. alioqui frustra conderentur leges, iniuste premia & poena decernerentur. 6. Commissum peccatum poenitentia saepe & dolor sequitur. Prioris opinionis rationes primo quidem intuitu argutae, facile tamen retundi posse videntur. Pro 1 ergo & 2. solutione haec habe. 1. Bonum est triplex: honestum, utile & jucundum. Honestum vere bonum: utile & jucundum cum turpitudine non raro juncta. At frequentius haec, atq; illud appetuntur, quamvis vel maxime improbitatem inducere non ignorentur. Malum itaq; non absolute optabile negabitur. 2. Neminem sponte agrotare durissimum. Quae enim aegritudinem inducunt, vita videlicet incontinenti & dissoluta, praeceptorum & consiliorum Medicorum contemptu sane quam multos delectari, quis est qui nesciat? quidni g. & sponte aegritudinem contrahant? Arist. 3 Eth. cap. 7. Pro ratione. 3. notandum tum demum illam procedere, si virtus & malitia summa essent genera: at utraq; sub generali magis notione, habitu nim. continentur. τὸ ἐκούσιον notio est generis, habitus sc. non forma virtutis vel vitij. Ut g. genus ad utramq; formam seu partem ἕξως προσκείμενον. hoc est ἀπὸ τῆς φύσεως καὶ τῆς φύσεως pertinet, ita & generis illa notio, τὸ ἐκούσιον. Ad 4. R. In causis illis enumeratis receptum quari per quam inepte. siquidem. 1. quod fit invite, fit vel violentia vel per inscitiam: haec causa non cogunt, sed invitant tantum & ad vitia proclives nos reddunt. 2. nec per inscitiam, sed inscios duntaxat nos peccare faciunt. 3. inscitie illius nos ipsimet saepe cause, vel ob supinam & crassam negligentiam & legum contemptum, vel ob vita dissolutionem. 4. habitu bono, quem per sepe scimus, ob negligentiam, pravam assuetudinem, voluptatisq; appetitum, non utimur. 5. Esi quidem vitiosus habitus jam contractus non amplius in nostra potestate, attamen 1. culpa est voluntatis volentis, ut ejusmodi habitus in animo fuerit generatus, dum prohibere eum potuisset: 2. nihilominus voluntati aliquid libertatis residuum, quo aliquo modo resistere adhuc, operationemq; queat impedire. 3. diuturnitate temporis, repetitioneq; adversarum actionum mutari habitus, quamvis agra & tarde, poterit. Piccol. gr. 3. c. 17. 18. 19. Gol. 1. 3. c. 5. Arl. 1. 3. c. 7. Camerar. 1. 3. Eth. c. 5. Seidel. in ἀπορίας.

Quaestio VII. An idem sit ἐκούσιον & spontaneum?

Qui summi illius Philosophi Aristotelis de moribus libros vel Latinate donarunt, vel commentariis illustrarunt, pleriq; ἐκούσιον per spontaneum



aneum seu sponte reddiderunt. Atq; hinc subtilitatis ille Magister Scaliger miris sepe modis in Cardanum invehitur, sponte nihil aliud, quam voluntarie & libenter judicans, atq; à sponsonibus derivans. Exerc. 62. Sect. 2. Exerc. 77. S. 1. Exerc. 140. At si Philosophi mens, tum etiam vocabuli sponte natura & usus apud auctores probatiores, expendatur & lustretur accuratius, minus commode & ἐκνοσίου & spontaneum inter se confundi videntur. Vocabuli sponte usus tam late se diffundit, ut non animatorum (saltem rationis discursu valentium); sed & brutorum & carentium; quin & inanimorum operationes naturales includat, imò ad affectuum usq; effecta. & quo non? permeet: adeoq; spontaneum nihil aliud sit, quàm ipsa rei natura, seu quod inde profluit. Hinc jumenta & fera multa esse sponte, equus à frenis solutus sponte per prata currere & vagari dicuntur. Piccol. gr. 2. Phil. mor. c. 14. Hinc Latine lingua parens & Magister optimus ignem per seipsum ac sua sponte moveri pronunciat. 2. de nat. Deorum: charitatem facere, ut amicitia sua sponte ex se & propter se expetatur, 2. de Fin. vera & falsa, consequentia & contraria sua sponte, non alià judicari. 1. de Leg.: Latine loqui esse quidem illud in magna laude ponendum, sed non tam sua sponte, quàm quòd à plerisq; negligatur. De claris Orat. Hinc & Virgilij illud Eclog. 4.

Sponte sua Sandyx pascentes vestiet agnos:  
Ecl. 8. Aspice, corripuit tremulis altaria flammis  
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse.

Et de arboribus Georg. 2.

Sponte sua veniunt, camposq; & flumina late  
Curva tenent

Ex quo quàm subtiliter quidem, sed otiosè nimis Cardanus de loquendi impuritate à Scaligero accusetur liquet. Mens Philosophi elucet partim ex ipsa intentione, qua Ethicorum libros non ad rerum inanimatarum vel brutarum operationes, de quibus Ethici ne gry quidem esse agere; sed ad hominum, quibus scientia, voluntas, libertas, Electio inest, conformandas conscriptos ab ipso novimus: partim ex ipsa τὸν ἐκνοσίου definitione, qua requirit. 1. ut principium sit in agente, quòd tum sit, cum externa vis omnis abest & voluntas rationi bonum monstranti per se acquiescit. 2. ut agens actionis circumstantias perspectas habeat. Vid. Donalds. 1. 2. Eth. c. 5. Vi igitur latius ab angustiiori, ita spontaneum ab ἐκνοσίου differre videtur. Sed litem hinc nulli; Valere, ut nummi, vocabula assolent.

Quæstio

Quæstio IIX. A quonam principio voluntas ad volendum exci-  
tetur & moveatur?

Quod si homo monstratum objectum eligat vel aversetur, illud ip-  
sum opus Volitio tam novè quàm necessario dicitur. Sagitt. Dis-  
put. Phys. ult. th. 29. Scaliger Exerc. 307. Sect. 3. Hujus  
ipsius volitionis quæ sit causa movens & excitans in quæstione  
apud Philosophos versatur. Affectuum in voluntatem imperi-  
um ac dominium, sunt, quibus arridet. Satis testimonij omnium  
magistra rerum exhibet experientia: quotus enim quisq; est qui affectu-  
um vires & impetus ignoret? qui irâ, dolore, læticia, amore volunta-  
tem inclinari non sentiat? Hinc Poeta illud.

	— — — —	furor iraq; mentem
Præcipitant.	— —	Aneid. 2.
Et illud Medæ:	— —	video meliora, proboq;
Deteriora sequor	— —	7 Metamorph.

Sic Scylla amore ardens ardentissimo erga Minoem patrem Nisum regem  
interimit. Metam. 8. Ομοθυμοσ videtur Scaliger, qui ab appetitu vo-  
luntatem fieri asserit. Exerc. 307. Sect. 3.

Peucerus cum aliis primam causam, à qua voluntas moveatur,  
Mentem asserit. Vide de divinat. p. 64. 69. Astipulatur Philoso-  
phus, quando, non secus atq; olim reges ipsi quidem consultantes, quid fa-  
ciendum, statuebant, sententiam tamen suam multitudini congregatæ ex-  
ponere consueverant, ab illa eandem approbati cupientes: ita & in animo  
hominis mentem decernere & dijudicare, voluntatem verò consultationi  
inconvenienter appetere edisserit. 3. Eth. 5. Camer. l. 3. Eth. c. 3.

Magnus deniq; ille J. Cæsar Scaliger Exerc. 307. S. 25. Voluntati in-  
ternum movendi assignat principium, quo & seipsam & intellectum sine  
ullo objecto extrinseco moveat. Quò & Philosophus 7. Eudem. 14. respe-  
xisse videtur, dñ ait: κινῆ γὰρ πῶς πάντα τὸ ὧ ἡμῖν θεῖον. ἀσχῆ δὲ τοῦ  
λόγου, οὐ λόγος, ἀλλὰ ἡ κίνησις τοῦ. Movet omnia inexistens in nobis nu-  
men. rationis v. non ratio, sed præstantius quidpiam est principium. Ad  
quæstionis determinationem observandum. 1. In genere quidē  
essentiæ voluntatis inesse, ut velle possit ac nolle; sed ut singu-  
lare aliquid se detur ac fugiat, semper ac primo ab alia causa  
præcedente excitari, moveri, impelli. 2. Esse g. movens, obje-  
ctum, Scal. d. c. S. 23. idq; monstratum, sub ratione boni vel  
mali, ab intellectu. 3. voluntatem jam excitatam posse aliis e-  
tiam à causis ad hoc illudve facilius inclinari. Voluntatis actio-

nes

nes multos habent gradus. Scal. d. l. Affectus g. omni omnino movendi vi non defraudamus, sed talem iis concedimus, quæ imperando non est juncta: est enim appetitus facultas voluntate inferior & corporis organo affixa. Movet appetitus non directè, sed indirectè, ex parte videlicet objecti, & interventu noticiæ intellectivæ, quæ objectum amplectendum fugiendumve proponit: id quod duplici contingit modo 1. quia appetitus in causa est, ut intellectus hoc aut illo modo judicet. Hinc ὁ ποιῶν τὸν ἐκασὸς ἐστὶ, τοῖσδε καὶ τὸ τέλος φαίνεται αὐτῷ ait Philosophus. 3. Eth. 7. Quo fit, ut voluntas sequens intellectus iudicium idem velit aut repudiet quod appetitus. 2. quia affectus movet voluntatem per noticiam interni sensus, quam ipse sequitur, quatenus sensuum phantasmata determinant intellectum ad huius vel illius rei conceptionem. Ad postremarum duarum sententiarum conciliationem distinguendum inter actus exercitium & specificationem. Quoad actus exercitium seu ad actus suos exercendos, ut reliquis potentias, ita & ipsum intellectum voluntas movet, quoad actus humanos: quoad actus specificationem, hoc est, ad hoc illudvè agendum, intellectus voluntatem movet. Proponit intellectus voluntati obiectum, à quo, tanquam à principio formali externo, actus voluntatis speciem sumunt. Pro diversa itaq; consideratione utraq; opinio veritatis videtur amula. Conf. Savanar. Epit. Phys. l. 15. Concl. 4. Epit. Eth. l. 2. concl. 9. 10. 11. 12. 14. DD. Conimb. tract. Eth. d. 4. q. 2. art. 1. & q. 4. art. 1. Seidel. in ἀνορθωπολ. Sagitt. disp. Phys. 21. th. 9. Casman. in ψυχολ. c. 6.

Quæst. IX. An detur actus malus in voluntate absq; præcedente errore intellectus?

D. Thomæ negativa videtur placuisse. Non est, inquit ille, referente Bodino in naturæ theatro l. 3., peccatum in voluntate, quin defectus sit in ratione. Confirmatur eadem 1. Quia nihil voluntas desiderat neq; affectat, nisi quod prius ab intellectu cognitum fuerit: Ignoti n. nulla cupiditas. Seidel. in ἀνορθωπολ. Ex quo voluntatis actui intellectus δικάνοια semper supponitur. 2. Malum non facile appetitur, nisi apprehendatur sub ratione alicuius boni. Non apprehenditur autem malum, ut bonum, nisi falso & aberranti iudicio. Unde necessariò efficitur, dato actu malo in voluntate & dari in intellectu falsum & erroneum iudicium, aut inconsiderationem saltem, cum intellectus passione aliqua præpeditus non satis efficaciter confert malum, quod peccando incurritur, cum bono, quod per virtutem obtinetur.

E

Affir.

Affirmativa sententia suadetur, i. quia violenter sapius à ratio-  
 ne voluntas avellitur, alioq; impellitur. Id quod in non pessimis etiam homi-  
 nibus & non malè iudicantibus videre est. Ardentibus affectuum facibus in-  
 censa voluntate & adusta, optima illa cum ratione harmonia consumitur &  
 & amittitur perditissime. Hinc perditus ille amore adolescens apud Teren-  
 tium, Eunuch. act. 1. sc. 1. : Prudens, sciens, vivus, vidensq;  
 pereo. David Propheta & Rex Vria rapit coniugem, facti turpitudi-  
 nem probè videns, intelligens. 2. Sapius sua sponte se voluntas seiungit & à  
 ratione avertit, vero ipsius ac recto iudicio repugnans. Non invite, sed de in-  
 dustria, qui vitioso iam habitu imbuti, vitiosis actionibus delectati, id quod ra-  
 tio improbat, præferunt, amplectuntur, perficiunt. 3. Evincit idem seculum  
 nostrum, multa illud scientia; sed raræ conscientia. Videmus enim plurimos  
 ab omnibus perturbationibus vacuos, gnaviter officium faciente intellectu, &  
 exactè rerum momenta secum ponderante, præcipites nihilominus ad scelera  
 & vitia labi. 4. Quis potuit ignorantie locus esse in angelis peccantibus? quis  
 in protoparentibus esu pomi vetito divinum mandatum violantibus? Error, I-  
 gnorantia pars sunt secutæ post lapsum miseria: quæ ab integritatis statu  
 fuit alienissima. 5. Si non datur peccatum sine ignorantia in intellectu, cur  
 salvator Luc. 12. duplo verberatum iri dicit servum istum, qui cognovit vo-  
 luntatem Domini, & non fecit secundum voluntatem eius? 6. Cur passim do-  
 cet Aristoteles scientiam de moribus parùm aut nihil valere ad virtutem, si  
 cum perfecta scientia peccatum dari non potest & contra bonos mores?  
 Pro decisione hæc duo notanda theoremata. I. Dato actu malo  
 in voluntate, simul in intellectu dari falsum & erroneum judi-  
 cium: at non semper ibi esse errorem in mente, ubi admittitur  
 peccatum in voluntate: Tametsi enim ab intellectu depellatur omnis I-  
 gnorantia, & is clarè & evidenter suum voluntati obiectum proponat, datur  
 tamen in voluntate libertas agendi & non agendi, ipsaq; ad utramvis opposi-  
 tionis partem manet indifferens. II. Ordine quidem naturæ ad men-  
 tis iudicium voluntatem primò respicere, ejusq; ductui obtem-  
 perare, at propter infirmitatem à magna illa τῶν φουρικῶν ἡγῶν  
 ἐπιτητῶν δυνάμειν vi & potentia in corde & voluntate, ma-  
 gnâq; appetitionum, quæ nec congruunt semper voluntati, nec  
 imperium ejus audiunt, aut ferunt, vehementiâ vinci sæpè ac su-  
 perari. Vi g. voluntas probè affecta non nisi intellectus errore, à virtutis  
 tramite exorbitat: Sic subitè sæpè percussa casibus, alijsvè abrepta & co-  
 acta quasi causis, quæ rationi contraria, arripit, & de curru delabatur. Peuc.

de

de divinat. Melanchth. lib. de anima. Camer. in p̄fati. super  
lib. Eth. Kecker. in cursu Philosophico disp. 19.

### Quæstio X. An voluntas feratur pariter ad bonum & malum?

Et bonarum & malarum actionum causas & principia in facultate  
nostra esse posita, rectè habet Philosophus. Eth. 3. c. 7. Ideoq; hæc propria  
voluntati libertas adscribitur, quod habeat δύναμιν ἀντιφάσεως hoc est  
quod possit ferri in opposita & contraria, nec determinata sit ad unum  
solum, sed ad utrumq; parata. Seidel. in ἀνθρώπων. Non tamen hinc e-  
qualis omnino ad vitia & virtutes voluntatis astruitur propensio, aded  
ut verè & sine simulatione velle malum possit sub nulla ratione boni. Me-  
lanch. l. de anima. Nec Ciceronis illa verè vox φιλόσοφος: homo  
non ut à matre, sed ut à noverca natura est editus in vitam corpore nudo &  
fragili & infirmo: animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, mol-  
li ad labores, prono ad libidines. Somnia hæc & male feriatorū φλυαγία.  
Talis v. voluntatis hæc intelligitur δύναμις, quæ naturalis ipsi  
sit & consubstantialis, qua & virtutibus studere & non studere  
potis sit, ad alterutrum licet magis propensa. Quamobrem rectè  
Philippus l. d. Etsi voluntatis est libertas, tamen sic ordinata  
est, ut velit bonum. Hoc si quis non admittit, evertet totam  
rationem finium, nec magis causa erit, cur voluntas acquiescat  
in Deo, quàm in tauro Phalaridis. Etsi voluntas non esset ordinata ad  
appetendum bonum, non esset causa cur magis appetere virtutem debeat,  
quàm vitia. Dum g. natura nos reddere ad malum pronos dicitur, id ex  
se falsum est. Nam ex se ad bonum tendit. Verum autem est ex accidenti.  
Omnis appetitus bonus, quia tendit ad finem, cuius conditio est bonum. Pic-  
col. de rerum defin. Confer Keckermanum in cursu Philoso-  
phico disp. 19.

### Quæstio XI. An voluntas possit appetere impossibilia?

Thesi 72. Superiùs ex Philosopho assertum, voluntatem ad ea etiam  
moveri, quæ impossibilia sunt, & fieri nullo modo possunt. Dubitari de  
hoc effato poterit. Dubitationis rationes sunt: 1. Objectum vo-  
luntatis est bonum. At quod neq; est, neq; esse potest, bonum non est.  
Bonum n. & Ens convertuntur. quod itaq; fieri nequit, ut est non - Ens,  
sic nec voluntatis objectum erit. 2. Objectum voluntatis est bonum.  
ab

ab intellectu prius cognitum & monstratum. Itaque non nisi ratio-  
 ne directa voluntas appetere poterit. Perridiculum g. & stultum plane vi-  
 detur ea velle, quae hominis vires superent: Et non tam voluntas, quam  
 appetitio tantum, haec volitio indiget. 3. Si propter hominum ineptias  
 & deceptiones Voluntas circa impossibilia occupari statuat, utiq; & E-  
 lectio. Terra illam propaginem, Gigantes Metamorph. 1.  
 impossibile illud & frustraneum, quod moliebantur opus, Deorum ex so-  
 lio suo deturbationem, quis sine praeelectione exorsos asserat? 4. Ap-  
 petitio omnis est motus. 3. de anim. cont. 54. Per naturam v. nil mo-  
 vetur ad id, quod attingere non valet. Voluntas g. quae est quaedam ap-  
 petitio, qui erit impossibile? Verum quaestioni gratior affirmatio.  
 Ratio 1. Voluntas est eorum, quae commoda nobis & bona iudicamus. Eius-  
 modi a. permulta, assequi quae nequeamus. 2. Optare est actus voluntatis.  
 Optari autem possunt omnia, et si perperam id fieri sciamus. Scal. O mi-  
 hi praeteritos referat si Jupiter annos! optat Senex ille apud Poetam  
 Aeneid. 8. Quoties Fortunati loculi? quoties Gygis annulus expetitur?  
 albae gallinae quivis exoptat esse filius. Sed quid? vota haec munifica. The-  
 saurus, quod dicitur, carbones sunt.

ὄυχ δ' εἰς ἀνδραῖοι νοῦμα τὰ πάντα τελευτᾷ Iliad. 6.

Quid v. reponemus superioribus? Dicamus cum Scaligero non  
 Ens duobus modis accipi. Vide Exerc. 307. Sed 24. Quod idem  
 innuit Piccolomineus: quae fieri nequeunt, inquit Gr. 2. cap. 28.  
 duplicis sunt generis vel enim absolute fieri nequeunt, vel possunt qui-  
 dem fieri, at non ab eo, qui ea vult & expetit. Quamobrem hoc  
 in ἄνθρωποι si absolute ἀδύνατα intellecta velis, recte quidem, ea, viri  
 est insani & stulti, appetere: homo n. recte valens & secundum natu-  
 ram affectus ab horum appetitione maxime remotus. At quae, ita sunt  
 ἀδύνατα, ut fieri quidem, sed non ab eo, qui vult, queant, vel ad eum  
 non pertineant, recte utiq; vir prudens appetit. Patriam tyrannide oppres-  
 sam liberatam nolle, quamvis tuae id efficere vires non valeant, maxime  
 naturae conveniens, adeo ut si secus velis, impietatis in patriam non possis  
 non infimulari. Sed pars adhuc dubij, resecta nondum, superat, qui g.  
 voluntas, cum motus sit, ad id tendet, ad quod perveniendi via interclu-  
 sa? Intellige motum, quatenus usurpatur, non pro externa pro-  
 secutione & effectione, sed pro interna excitatione & propen-  
 sione ad aliquid, haut multum repugnabis.

Sed satis hoc nostrum quoniam percurrimus aequor  
 Propositum, jubeo, subeas mea cymbula portum.

F I N I S.

Fc 1249.  
gn

ULB Halle

3

003 422 747



Bitte noch kein

Sammelbd. verwenden


nach Ausleihe

an Retro-Ecke


OK

Zurück!

VD 17








Farbkarte #13

B.I.G.



UTATIO IV.  
ONVM ETHICARVM,  
*De*  
ENTE CAU-  
TVM MORALIVM,  
DE ACTIONIBUS  
IUMANIS.

*Ethicorum Nicomachiorum  
simum deprompta.*

*Quam*  
ENTE ET DOCENTIE  
*Academia VVitebergensi*  
PRÆSIDE  
VELSTENIO PHILO-  
bralis Professore publico,

*ndendam suscipiet*  
S HORSTIUS TULLI-  
surgio - Saxo.

*horis locoq; consuetis.*  
Cicero.

*us omnis in actione consistit.*  
VITEBERGÆ  
*ullerianis Anno 1607.*

9

